

CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

Cuius sint admonendi susceptores infantis. Cap. III.

c. vos ante
oia, de conf.
diff. 4

Susceptores infantis (patrini qui dicuntur) merito admonentur, quod ipsi sint, qui ecclesie nomine, & in ecclesie fide Christo paruulos offerant per baptismum, ac se propemodum pro paruulis fidei iussores constituent, nomine paruuli respondentes, quem etiam postquam adoleuerit, symbolum simul & orationem dominicam edocere, atque vitam Christo ac professione in baptismum facta dignam perpetuo agere, saltem ubi id necessitas poscere videbitur, cohortari non omittent, proindeque malumus illos deligi pro uetate aetatis quam impuberis, ne videatur infans infantem offerre ac sponsores se deo pro alio constituere, qui quod promittit, non intelligat, ideoque multo minus quod non intelligit, docere queat.

Populus docendus, quid velint externa signa. Cap. V.

Praeterea docebunt populum, quid sit, quod catechizetur baptizandus, quid reliqua solennia, quae ecclesia adhiberi voluit, signent, videlicet, Cur in suffletur in faciem baptizandi, cur signum crucis & in pectore & in fronte fiat, cur sal in os detur, cur aures & nares spatio attingantur, linianturque, cur inunctio in pectore & scapulis fiat, & cur post baptismi unctionem in vertice. Denique, quid significet amictus albus, quo infans seu alius baptizatus superinduitur, quae omnia sunt mysteriorum plena, quae admodum Enchiridion declarabit.

Quomodo accedendum ad baptismum. Cap. VI.

1. Corin. 14

Cum beatissimus Apostolus in ecclesia omnia honeste atque secundum ordinem fieri iubeat, debet baptismus summa mentis in deum & in sacratissima quae agunt mysteria, intentione & dari & accipi. Quare quicquid hinc susceptores seu alios astantes auocat, procul tollendum est. Accedatur itaque deposito omni fastu, humili spiritu, ac recta in deum fiducia, quem admodum accesserunt qui Iesu paruulos obtulerunt, ut manus eis imponeret, Nam hic renuntiatur satanae, omnibus operibus atque omnibus pompis eius, conueniaturque ante inter paternos de nomine infantis, ut potius in baptismum ipso cogitetur de lucranda anima Christo, quam de retinendo nomine.

Matth. 19

Baptismus in facie ecclesiae peragendus. Cap. VII.

Magna certe ratione ecclesiasticis patribus visum est, ut baptismus in conspectu ecclesiae in loco sacro recipiatur, nisi tamen imminens necessitas fieri aliud iusserit. Quamobrem displicet nobis quod quidam fastuosum templum domini despicientes, ambiunt magis suos infantes in domibus priuatis baptizari. Quod deinceps, nisi necessitas id ipsum exegerit & causae cognitio praecesserit, indulgeri nolumus.

In confirmationis exhibitione quid docendum. Cap. VIII.

Idem